

*Res Digna Lecturae*

III.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 32.

In Cacumine Golgathae.

Elysum-Meum. Die Martis. 15. Maji. 1810. (Nev. 23. Apr. 1810.)

In manus tuas commendo spiritum meum.

*Christus.*

*Meditationes in S. hebdomade.*

Ampla meditandi hac hebdomade materia!  
Eleva mentem o homo! a terrenis negotiis,  
dicque: Volo ad sidera tollere vultum. —  
*Coeli aperti sunt.* —

Moritur Christus — Consummatum est!  
Coelum obnubilatum est, moesto velo obdu-  
ctum — terra contremuit, — sepulera se-  
peruere — multi, qui obdormiverunt, san-  
ctorum, sacram Civitatem petierunt, & mul-  
tis adparuerunt — & excubiæ ad Crucem hor-  
rore percussæ vociferarunt: Vere hic Dei-  
filius est!

Hæc historia nostra memorat, hæc con-  
firmat partium studii expertus historicus Jose-  
phus Flavius & Scepticus credere cunctatur!

Sit ita! at si veritati candide fidus esse  
vult, an non fatebitur: Ex omnibus morali-  
bus doctrinis veterum & novorum Philoso-  
phorum Christi nostri doctrinam summam ani-  
mo tranquillitatem, felicitatem, solatiumque

adferre? Ille ostia Coeli aperuit nobis, ille  
 aliam feliciorē trans tumultum nobis promi-  
 sit. Mors non est amplius mors, est nova  
 vita.

En principem Christianæ doctrinæ ba-  
 sim! Immortalitatem! —

Nova ex Cruce orbi illuxit Epocha —  
 Romanis armis occupatum, prostratum, tu-  
 multu metropolis orbis afflictam humanum  
 genus redemptorem suspiravit. Nuspam vi-  
 debatur, orbis enim armis occupatus & sub-  
 jugatus erat — nemo in eo potentior reper-  
 tus — horrida tempora! sola Roma omni-  
 bus abundabat, interea reliquis armis occu-  
 patus orbis durissimo sub jugo genuit.

Divina providentia diu lamenta affligi  
 humani generis sustinuit; vidit diritatem, —  
 quippe in sola urbe Roma libertas erat &  
 licentia. — Tum agebat: Mittam dilectissi-  
 mum meum in mundum, qui eum non le-  
 gionibus, verum miti, benefica, salutarique do-  
 &rina occupaturus — quidquid ad hoc tem-  
 pus in philosophicis opinionibus obscurum  
 erat, id perspicuum luculentumque erit. Coe-  
 los ille reserabit, revelabitque trans tumultum  
 novam occipere vitam. — Christus venit &  
 En! providentiæ promissiones impletæ sunt.  
 An Messias potens & magnus orbi adparuit?  
 Minime — Natus in sinu paupertatis prima  
 adparitione argumentum dedit: Summum æque  
 & imum in terra coram Deo æque amabi-  
 lem, nullius eum personæ susceptorem fore,  
 nullos natales meliorem & illustriorem homi-

nem reddere aut prerogativam præ aliis impertire. — Primus ejus lectus vile erat præsepe, schola officium fabri lignarii, institutio ejus paupertas parentum & dura se sustentandi eorum conditio. Ut fieri potuit: quod hæc talisque Conditio educatioque Christum omnibus ea ætate florentibus Philosophis efferre valeat? — Id ipsum est Deitatis mysterium. — Idola tantopere splendecantium opinionum corruerunt — & — ejus doctrina caput super tot decadibus sæculorum attollit, beatque miliones proborum hominum — Christianularum. —

Ad vocem mysterii labia diducit sceptitus, vult promissam futuram vitam non ingenio, sed manibus adprehendere. Apertus non videt Coelos, mavult credere annihilationem. Ecce homo! talis homo est. —

At ut, quæso, horrenda destructionis ideæ menti occurrere potest? cum contrarium doceat animata & inanimata sapiens Creatio — quod in Universo semel adest, ex eo intirire nequit amplius — granum arenæ, quod tu Sceptice! conculcas, olim pars erat rupis, rupes non existit amplius, at partes ejus ubique extant. — Ut, amabo, si vilissimum ens durat perpetuum, quamquam temporis decursu nexus & relationes millies variet, ergo nobilissimum, & maximum, quod in Universo noscimus, ergo mens humana sola ab universali lege exceptionem faciat? —

Interea, quo pulvillus tamdiu Universe immoratur, anima humana, sola Dei & im-

mortalitatis representandæ capax momentaneam habeat existentiam? Vah! pudet hujus ratiocinii! —

Duæ res perperam noscimus in Creativnis Sphæra, quæ ubivis se discernunt — inanimatam inertemque materiam, tum certas occultas abditasque materiam hæc inertem connectentes & animantes Vires. — Audi ais, Sceptice! flores, quos hortus tuus producit, terra exoriuntur. — Aqua, terra, aer lumenque alunt utique plantam, at non ex quolibet pulvillo nascitur planta. — Adest mystica quædam vis, qua Culmus graminis & quercus recte gramen aut quercus & non aliud fit; vis hæc occulta ceu plantæ animæ consideranda est, quod opportunissimas alimentationis partes ei conciliant. — Invisibili inexplicabilique hæc vi flos floris formam adeptus est. En! mysterium, attracta, si potes, id manibus.

Quid jam tibi videtur: an iners materia sua coalescentia singularem mysterii plenam vim enixa est? aut est abditum virium regnum, quod cum inerti materia ludit, eique multifariam formam, vitam, motum sensusque communicat? — si iners materia ex universo evanescere non potest, an putas vires, nobilius & melius, evanescent? eas non advertis, dum planta viribus suis destituitur, dum flaccescit, in pulverem revertitur, sed an prior, quæ aderat, vis evanuit? sane agit te non animadvertente continuoque agit sub aliis relationibus.

Eadem prorsus ratione humana mens  
 aglimior, infinite mirabilis, qua cum nulla  
 omnium quas noscimus comparabilis, vis est;  
 Profecto quis adeo desiperet: ut sibi perava-  
 dest: a corpore quod e pulvere coaluit, pro-  
 ductam esse animam? — Cadavere hoc in  
 pulverem relapso, intereundum & animæ esse?  
 an non anima est, quæ ejus curam habet,  
 id alit, custodit ab adversis, eo pro arbi-  
 trio oculi instrumento utitur? —

Sane is solum tantopera potest, deque  
 veritate voceque doctoris Crucifixi ambigere,  
 qui per soelestam vitam se indignum reddit, aut  
 rationem habet metuendi. — Frustra Sceptice!  
 te ipsum fallere; frustra tuæ ipsius rationis  
 sicarius esse vis! — durabit ea & judicium  
 accipiet! audi Philosophe! est Deus, &  
 quam verum est, esse Deum, tam verum est,  
 esse te immortalem tuasque actiones tibi co-  
 mites esse ad æternitatem! —

Humana anima, scintilla hæc ex divini  
 luminis oceano, eximia hæc vis, quæ plan-  
 tis, mineris, animalibusque dominatur, Coe-  
 lusse attolit, cursum coelestium corporum me-  
 titur, internaque revelatione divinæ suæ ori-  
 ginis conscia est; ille spiritus, qui cogitando  
 montes mariaque transcendit, & ad solium  
 omnipotentis penetrat, ubi vis sibi constans  
 est. Pro se solo adest, non ut pars al-  
 terius. Sibi quasi parvus mundus est, medio  
 solum sensuum reliquis Creaturis conjungitur.  
 Circum eum circa multa mutantur — ille per-  
 manet, animadvertit & vires facultates suas

explicat. — Si humana mens non pro se condita esset, si aliis entibus in subsidium solum foret, tum valorem suum, existentiam suam amitteret, ut primum entia, quorum partem constitueret evanescent. Anima non gratia Corporis, animati per se pulveris sed Corpus eius gratia est, quod ea animandum & regendum habet. Atque memorabilis hic sensus sui per se consistentiæ mentis, firma hæc Convictio eum pro se existere, & non aliorum entium particulam esse, hic inquam sensus intrinsecus vadimonium est ejus perpetuitatis, ita excellentissimus spiritus, Deus, qui nos condidit, non totius pars est; alicujus alterius, sed pro se est — æternus est.

Qui de animæ suæ immortalitate dubitare posset, is in articulo perpexitatis animæ, correptus delitio, de tua Deus! existentia dubitaret!

Doctrinam Immortalitatis, præmiorum poenarumque in alia vita Christus prædicavit, quæ adhuc obscura & non cuivis pervia erant, ille declaravit. Principia Christiana optime Societatem humanam conservare, ejusque bonum promovere possunt, refrænant ea feram in alienas facultates libidinem, suum cuivis accommodissime absque armis tuentur, secretum accusatorem in animo erexere. — Conscientiam adversus injustum, ceu tribunal condiderunt; paupertati solatiofam spem, male adplicatis opibus poenas indicarunt; virtuti tacitam tranquillitatem & sylvitatis suæ convictionem, sceleri terrorem & metum instillarunt; hoc egit redemptor pro mundo, & quid egit is pro illo?

Contumelia, ignominia, persecutio, contemptus egestas, miseria. Mors in Crucis patibulo erat ejus præmium; peregissus coecitare eum ignoravit. Expectabat ab eo excelsam terrestrem potentiam, & regnum ejus non erat de hoc mundo, volebat eum in Palatiis & solis videre; Ille ostendit; Christiane cogitantem hominem in humilitate etiam pulveris nullo alio fulgore opus habere, quam virtute.

At hæc conditio paupertatis & persecutionis, in qua Doctor adparuit, procul dubio propagationi

divinæ doctrinæ adcommodatior erat, quam suppressæ potentia coactio. Penetravit convictione, non coactione Corda & animos. Quam insigniter se diffudit, doctores dum adhuc pauperes essent, brevi tempore folia Principum penetravit. Jam potens Philosophiæ Marcus Aurelius eam benevolentia excepit. At ut primum terrena & opes secundum vulgarem humanarum affectionum cursum se ei adjungere, tum persecutionem, contumeliam passa, in dubium vocata. Bellum tricennale plus adversus proprietatem opulentorum eorum Apostolorum, & politici rationibus, magis ad Independentiam pro Principibus obtinendam, quam contra ipsam doctrinam gestum est. Opes invidiam pariunt, & invidia acuit concupiscentiam alieni boni. Si eorum Hierarchæ pauperes fuissent, profecto bellum abfuisset. — Saltim nullum ex religiosis sinistris interpretationibus, sed aliis ex rationibus ortum fuisset. — Ubi doctrina suis opinionibus effectum facere amplius non posset; metaphysicæ voces: libertas, æqualitas, Fraternitas, ex philosophico promptuario depromebantur.

At & terrenum hoc bonum, opes hæc & ex iis orta potentia Ecclesiastica suam habuit utilitatem. Nationes Romana subjugatione feræ redditæ, hinc & inde migrantes ad effugiendam violentiam permanentes Sedes nactæ sunt. Ecclesia potentia sua usâ ad eas erudendas, commune idioma induxit, ad eas communis invicem intelligentiæ gratia conjungendas; eas territorio & solo alligavit, emollivit mores, & prima Geographia Dioecesibus innitebatur. Ex hoc uniens beneficium conformitatis Cultus religionarii ortum, quæ omnes Christianos, quacunquē in Christiana regione etiam existerent, Notos & fratres effecit; quæque secundum minimum formam in cunctis Catholicis Regnis se conservat; ideo legitur in historia Antistites Ecclesiæ continuo populorum oppressioni & mancipatui reclamasse, omnique qua potuit ratione protegere eos conatos fuisse, inde promanavit ecclesiasticæ potestatis auctoritas, quæ utique secundum ordinarium mundanarum rerum Cursum ultra nimis extensa Ecclesiæ potentes inimicos conciliavit.

Ipse divinus noster Doctor moesta mundanarum rerum Confectaria experiri debuit. — Unus de 12. ejus discipulis eum deseruit. Judas, quem in cordis sui amicos adoptavit, cujus benefactor, frater, pater, doctor & magister erat, hic eum deserit, discessit a mensa, ab amoris sui convivio, ad eum pro nequam & abominanda pecunia prodendum. Jam jam hostes eum quaesiverunt, jam horrenda conjuratio in sanctam ejus vitam facta. Deerat proditor adhuc, qui eorum manibus eum tradere posset, & is — repertus est in medio ejus discipulorum!

Quis inter nos Christianos est, qui similem ingratitude quoque non fuisset expertus? — Et pro hoc scelere coelestis magister noster patiens exemplum reliquit. Solari nos in hoc debemus: qui supra fidera habitat, aeternum compensat. Noli diutius infelix amice virtutis lacrimari! noli animum despondere derelicta & persecutionem patiens innocentia! venit dies triumphi. Ille divinus doctor, qui Coelum nobis referavit, mundanos in Cruce perspexit eventus. Terrenum Ecclesia reliquit, ejus doctores, in anxia sunt de futuris incertitudine, at doctrina manet in sua praestantia, est ea aeterna, & quamdiu ratione praediti homines existerint, tamdiu corda illa subibit. — Ecclesiae Germanicae praerogativae amplae cedit, Christianae moralis Antistitem — illum unicum, vocem attollisse — Augustus auctor (O finite ejus nomen per prolepsin historicam marmori credamus!) scripsit: „De pace Ecclesiae in Statibus Rhenani Foederis.” edita ex ore vota Caroli Metropolitani A. Episcopi Ratisbon. O ejus vota exaudientur, sunt ea filo mansuetudinis magistri nostri concepta; & tum olim in patria, ab redemptore servata, rursus nos inveniemus, & beata fruente vita, posteris inclinabimus: Manete fideles usque mortem magistro vestro, — alia felicior trans tumulum vita est — venietis ad nos & nos rursus videbitis. Hoc ipsum Crucifixus promisit, promisit inquam inclinavitque caput, & mediator Deus, miserere nostri! — mortuus est. *Ecce quomodo moritur justus!*